

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 7. (Neovidensis 1808. Nro. 4.)

*Secretum litterarum Commercium  
inter vivos & mortuos.*

El sium Meum. - Die Martis. 26. Jan. 1808 (Neov. 8. Jan. 1808.)

Joannes Hoppas caupo Cellarius ex Elysio cui-  
dam Collegarum suorum.

*Salutem plurimam.*

**E**go consummavi, Svavissime Martine! ter-  
minum attingi! duo & triginta annis cellarium  
egi, jamque portum — quem tu aliquando —  
quo serius, eo lubentius — subiturus es,  
assecutus sum!

Quamquam, ut dicam quod res est, ve-  
re gratulor ex animo: me ad avorum sedes  
pertigisse; opificium nostrum pro viro 50 An-  
norum, quibus in terris vixi, adeo molestum  
est, ut merito gratulari debeam: me mundo  
excessisse; quid obsecro care Collega! tan-  
dem factitassem? ossa mea, corporeaque com-  
pages ob tipa nimis rigidaque erat, ut mo-  
tioni membrorum ad ascensum & descensum  
continuum accommodari ægre potuerit; Sin-  
gulis quidem nostrum in hoc mundi teatro  
persona agenda est, verum, superos testor!  
Cellarii personam sustinere res nequaquam  
gratissima est.



Etenim: dum vitæ conditionem nostræ, mentis acie pervestigo, quid est Cellarius? — si etymon vocis spectes a *cella vinaria* derivatur; at ejus obligationes cum culina, cum ancillis, cum aula Domini Cauponæ Præsidis, ejusque Domina conthorali, ita implicatæ, tam variæ, quam laboriosæ — sæpenumero precabar apud animum: ut *constitutionem pro Cellariis* videre vivo mihi liceat at spes vana; quæ obsecro superioritæ convivii tempore Cellarii meminit codicis? profecto quam verum est me Joannem vocari, tam quoque verum est: statui nostro ardua, & salebrosa officia incumbere.

Animus mihi est statum nostrum secundum experientiam adumbrandi; quamdiu homo juvenis est, opificium nostrum utcumque ei eridit; quippe fortunam habet cum multis exteris innotescendi, eorum indolem discendi, imo asseverare ausim: soli Cellario Cauponi homines noscendi modum esse; jam bonus, jam malus, dives, pauperculus, honestus, jam impostor, jam eruditus, jam simpliculus, jam probatæ, jam ambiguae virtutis hospitem excipit, quilibet alias dotes, aliam vivendi rationem, aliam animi indolem aliamque capitis duritiem præsefert, quæ omnes bonæ & malæ dotes agunt & effectus exerunt in cauponem; an alius vitæ status plus argumenti occasionisque habet, noscendi homines? at dum senescit? — raro tantum senem cellarium in mundo reperi.

com  
est.  
age;

sona  
Veni  
tet;  
lum  
bile  
fami  
net,  
& in  
sua  
te di  
illo a  
quod  
quod  
mode  
ction  
rever  
stand  
adhib  
peria  
habet  
cia?

J  
cocu  
bubu  
propo  
dape  
ancill  
deside

Notitia proinde, quan in statu nostro comparari potest, insignis ejus prærogativa est. Sed & hæc omne emolumentum est, age; reliquas muneris nostri partes dispiciamus.

Cellarius in loco diversorio notabilem personam sustinet, quæ plurima vice advocatur. Venit peregrinus, cellarium præsto esse oportet; hospitem urbane, ut aulæ Mareschallum excipiat, ei pro ratione conditionis cubile stationemque assignet, eum in argumente famis, aut sitis omni cum humilitate examinet, nec satis: animi quoque ejus propensio & indoles ei exploranda, ut ei pro natura sua ministrare possit, titulos dignitatum mente disquirendos habet, ut hunc hoc, illum illo apto, & competente nomine compellet, quod si hospitem mente captum contingat, quod sæpe accidit, stultis ejus ideis se accommodet oportet, si animi hilaris, tum collectionem hilarium casuum omni tamen cum reverentia in numerato habeat ad eum oblectandum, si contra morosus, omnem operam adhibeat, ne eum irritet, quod si *erronem* comperiat, principalem de periculo præveniendum habet -- annon hæc ardua & molesta provincia? profecto Cellarius Cato est diversorii.

Jam omnia ejus capiti incidunt; coca aut cocus jusculum sale justo plus condivit, aut bubulam duram coxit, principalis vina lurida proponit, cubile nimium aut parum calefactum, dapes insipidæ, aut unus cibus male coctus, ancilla lævum incommode stavit, mantile desideratur, aut, quod sæpe fit, emundtorium

deest, & si ad primam adclamationem non e vestigio, ut ita dicam, prout avis advolet, tum in miserum cellarium dira jaciuntur fulmina, qualis hæc œconomia? tartarus rapiat hoc jusculum, nec elephantinis bubulam hanc lacerare possem dentibus, estne istud vinum? hæ feces sunt; caupo, caupo! ma'um! cellarie! quale hoc servitium? nec mantile mundum, nullum emunctorium! quid mandat illustris Dominatio? Dii te perdant furcifer! qualis œconomia hæc in vestris œdibus!"

Hi sunt elegantes sermones, quos cellarius sustinendos habet; Dominus principalis abest, cellarius similibus insectationibus humeros subjicere debet, ea propter duri & obturati animi esse debet, una aure excipere, ex alia evolare sinere.

Nondum satis — Cellarius domesticis etiam tricis & ægrimonis expositus est, sit mali animi Cauponæ Dominus, vel, quod adhuc molestius, hera vires suas in eum exerit, ceu persona principalis orbitæ domesticæ; conroversiæ in culina, discordiæ ac lites in familia, in summa omnia, quæ eveniunt, in eum agunt; si quid confringitur, aut deperditur, is convenitur, is pro physica æque, ac morali domus constitutione respondendi oneri subjectus est, idmodi ægrimonis quot die emergunt, hominesque Angelos esse oporteret, si in ampla œconomia absque invidia, jurgiis, persecutione insectatione mutua, vitam agere possent,

Et pro omnibus, tot tantisque ærumnosis functionibus, quæ spes emolumenti nos

mane  
storu  
verun  
nostr  
per o  
sione  
firmo  
annis  
ad an  
homo  
quam  
sepulc  
non  
cand  
& un  
olim  
di, ja  
lecte  
quam  
tine,  
ut m  
rint,  
iis gra  
exper  
tudin  
arum  
I  
nostr  
tis m  
Portu  
Amer  
geogr  
te do

manet? opulenti magnique domini per adiutorum rationem a prisca liberalitate desverunt, *hibalia*, hoc cæteroquin usitatum status nostri honorarium, in dies tenuia fiunt, homo per continuam velocemque scalarum ascensionem, & repetitam descensionem pedes infirmos reddit, senescit, & postquam pluribus annis fatigatus, & delassatus, tabescit, viresque *ad amphoram vitariam* fatiscunt, tum effectus homo efficitur, cui nihil faciendum superest, quam ad cellarium æternitatis, quod germanice *sepulcrum* adpellatur, ex hoc mundo emigrare; non cuivis fortuna obtigit œconomiam auspicandi, ad talem cursum opus est nummis, & unde hos amabo? illa splendida spes, quæ olim Cellario affulsit, viduam uxorem ducendi, jam etiam extra morem recessit. Vide dilecte Amice! hæc est via, quam tibi elegisti, quamque ego adeo difficulter calcavi — retine, & conserva has litteras, & si hospites, ut moris est, te duro sermone impetierint, fac litteras hasce legant; intelligent ex iis gravis, ac permolesta status tui Officia, ea expendent, docebunturque cellarium in plenitudine meritorum suorum, & ratione miseriarum, quibus circumfunditur, æstimare.

Legenti oram stygiam unus de Collegio nostro e mundo superiore ad cassam Charontis mihi occurrit; in ceteris narravit: Regem Portugalliæ regnum suum deseruisse, atque in Americam australem discessisse; animus est, geographicam regionis hujus, quam rex petiit, te docendi gratia, facere descriptionem.

Ab æquatore usque 33 gradum 20 min. latitudinis australis, atque ab 300—342 longitudinis geographicæ in Americasita est ampla spatiosaque regio melle & lacte fluens; constat ea proprie sequentibus provinciis 1. *Gujana australi*. 2. regione *Amazonum*. 3. parte inter austrum & ortum media *Peruanae*. 4. *Brasilia* proprie dicta, & 5. parte *Paraquariæ*, hic tractus terrarum majorem censet superficiem geographicam, quam tota Europa occidentalis, utpote Gallia, Hispania, et Portugallia, verum non plura quam 400 alborum et 600 nigrorum mancipiorum millia; atque 200,000 nativi incolæ regionem incolunt, in quo 600 milliones in abundantia, omnique ubertate vitam agere possent; aurum in omnibus ferme fluviis, præprimis rivis montium in magna quantitate reperitur, quod medio commercii totum ferme in Anglorum manus derivatum est, qui nummos *Guineos* suos ex eo cuderunt. Inquisitio in gemmas legibus coerceri debet, ne nimia earum copia pretiivilitatem inducat. Omnia mater terra in prodiga ubertate profert, homines solum desiderantur beneficio Dei fruituri. Zacharum, herba nicotiana, Ocisa, Sarsaparilla, Zingiber, Cacao, Vanilia, Gozipium, Indicum, ebanum lignum, fernambucum exiguo labore produciuntur. In septemtrionali plaga fluminum orbis maximum fluit *Amazonum* dictum rectius *Maragnon*, quod fontem habet in *Peruano Cordilleras*, & percursis 800 milliaribus germ. ingentem suarum aquarum molem in Atlanticum Ocea-

num exonerat; in plaga australi *Plata* ammis eidem Oceano illabitur, præterea regio pluribus gaudet magnis fluviis, qui ex mari ad multa centena milliaria navibus percurri possunt, et ad oram præstantissimis portibus.

In hanc regionem hodiernus princeps Regensque Portugalliæ, qui ab hac provincia titulum Principis Brasilis gerit, ex Tago, et urbe residentiali sua ad præsens usque Ulyssipone, vela dedisse fertur, ad futuram sedem domicilium deinceps in *Rio de Janeiro* S. Sebastiano, quo nomine urbsimproprè a Castro ei adsito adpellatur, figendum; urbs hæc 35000 Incolarum et insignem habet portum.

In Africa et Asia Rex Portugalliæ conspicuas adhuc possidet ditones, oras Insulasque, in specie: *Goa* etc. in India orientali; plures terrarum tractus in orientali et occidentali Africæ meridionalis parte, præterea *Insulæ Azores* & *Capitis viridis* notabilis Coronæ hujus portio sunt.

*H o l l a n d i a.*

*Ultrajecto* 4. *Jav.* Aditus ad regem Calendis Anni frequens admodum fuit; splendidusque omnes de diplomatico et aliis Collegiis publicis ad eum conventum comparebam; Minister Gallicus et Vittembergicus separatim aditum habebant; ille regi tradidit plura ordinis legionis honorariæ Insignia pro officialibus militibus Hollandicis, qui se proelio in Friedlandia commendabant; alter atulit regi Insignia majora ordinis Wittenbergici. Vespere frequens erat conventus in aula regia.

Rumor fert: Majestatem Regiam iter Amstelodamum suscepturam.

Amstelodami priore Anno 9089 homines obierunt, Anno 1806 solum 7462 mortui censebantur, proin sæva mortis falx 1627 hominibus plures demessuit.

*Politicae Episodae.*

Monitor de 4 hujus memorat: hesternò utpote 3. Jan. solennem apud Imperatorem Regemque Napoleonem ingressum fuisse; occasione cujus plures illustres personæ ei præsentabantur Cæsareo Regius Austriacus legatus Comes a *Metternich* præsentabat C. a *Pálffy*, Principem a *Schönburg*, Baronem a *Scheiber*, et C. a *Wratislaw*, quorum tres postremi in stipendiis Cæsareo Regiæ Austriacæ Majestatis.

In venatu impulsorio die 28. Dec. in sylva inter Wisbadenam et Idsteinium insolite molis lupus 7 pedes longus, quinos altus unoa glande plumbea exanimatus est.

---

*Ad BB. Lectores*

P. Basilii Alexiovicis sermones Sacri, festivales et Dominicales, jam ex integro parati sunt, V. Tomis 8. maj. possuntque haberi Posonii in hac Typographia, Pestini apud Eggenberger, et K. ss Bibliopolas, ab 8 fl. quivis Tomus separatim a 2 fl.

---